

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

ADVERSUS JUDÆOS.

TRACTATUS UNUS.

I. BEATUS apostolus Paulus¹, doctor gentium in fide et veritate, exhortans nos ut in eadem fide, cujus idoneus minister effectus est, stabiles firmique maneamus, præcepto admonet, terret exemplo. « Vides, inquit, bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, » severitatem ; in te autem bonitatem, si permanseris in » bonitate². » Hoc dixit utique de Judæis, qui tanquam rami ex illa olea, quæ in sanctis Patriarchis tanquam in radice fructifera, propter infidelitatem fracti sunt, ut gentium propter fidem insereretur oleaster ; et fieret particeps pinguedinis oleæ, ramis naturalibus amputatis. « Sed noli, inquit, gloriari adversum ramos : nam si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. » Et quoniam salvantur aliqui ex illis, continuo subjunxit : « Alioquin et tu excideris. Sed et illi si non permanserint in infidelitate, inserentur ; potens est enim Deus » iterum inserere eos³. » Illi autem qui permanent in infidelitate, ad illam sententiam Domini pertinent, ubi

¹ Vide D. Guillon. tom. xxii, pag. 78-80. — ² Rom. xi, 22, et Beda, seu Florus, ibid. — ³ Ibid. xviii, 23.

ait : « Filii autem regni hujus ibunt in tenebras exteriorum res : ibi erit fletus et stridor dentium ¹. » Gentes autem permanentes in bonitate ad illud, quod superius ait : « Multi » ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum » Abraham et Isaac et Jacob in regno caelorum ². » Itaque illis Patriarchis in radice viventibus, et infidelis superbia naturalium ramorum justa Dei severitate confringitur, et fidelis humilitas oleastri gratia divinae bonitatis inseritur.

II. Sed quando Judæis ista dicuntur, Evangelium Apostolumque contemnunt, et quod dicimus non audiunt; quoniam quod legunt, non intelligunt. Nam utique si intelligerent de quo praedixerit Propheta, quem legunt : « Dedi te in lucem gentium, ita ut sis salus mea » usque in fines terrae ³; » non sic caeci essent, non sic aegroti, ut in Domino Christo nec lucem agnoscerent, nec salutem. Item si intelligerent, quod infructuose atque inaniter cantant, de quibus sit praenuntiatum : « In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae » verba eorum ⁴, » ad sonum Apostolorum evigilarent, et verba eorum divina esse sentirent. De sanctis ego Scripturis, quarum et apud ipsos magna habetur auctoritas, sumenda sunt testimonia, quorum et si nolint oblata utilitate sanari, aperta possint veritate convinci.

III. Sed primo eorum ille redarguendus est error, quo putant ad nos ideo non pertinere Instrumenti veteris libros, quia jam non vetera, sed nova sacramenta servamus. Dicunt enim nobis : Quid apud vos facit lectio Legis et Prophetarum, cujus praecepta servare non vultis ⁵? Eo quod carnem praeputii non circumcidimus masculinam, et vescimur carnibus quas Lex dicit immundas, nec sab-

¹ Matth. viii, 10. — ² Ibid. ii. — ³ Isai. xlix, 6. — ⁴ Psal. xviii, 5. —

⁵ Beda, seu Florus, ad Coloss. ii.

bata et neomenias et dies festos eorum carnaliter observamus, nec victimis pecorum sacrificamus Deo, nec Pascha in ovis et azymis similiter celebramus : et si qua alia vetera sacramenta generali vocabulo umbras futurorum appellat Apostolus, quia ea significabant suo tempore revelanda, quae nos revelata suscepimus ¹, ut remota umbra nuda eorum luce frueremur. De quibus singillatim nimis longum est disputare, quemadmodum exuendo veterem hominem circumcidimur, non in expoliatione corporis carnis; et quos cibos vitant in pecoribus, vitamus in moribus; et exhibemus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, cui et animas nostras in desideriis sanctis pro sanguine intelligenter effundimus, et Christi velut agni immaculati sanguine ab omni iniquitate mundamur. Qui propter similitudinem carnis peccati etiam caprino pecore in veteribus sacrificiis figuratur : nec eum negat in crucis cornibus taurum, qui in illo agnoscit maximam victimam. In illo requiem cum invenimus, vere sabbatizamus : et lunae novae observatio, vitae novae est sanctificatio. Et Pascha nostrum Christus est; et azyma nostrum sinceritas veritatis, fermentum non habens vetustatis : et si qua alia sunt, in quibus nunc immorari opus non est, quae illis veteribus adumbrata sunt signis, in illo habent finem, cujus regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit Legem et Prophetas non solvere, sed implere ².

IV. Proinde illa vetera signa rerum non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit : ut alia essent quae nuntiarent venisse jam Christum, qua fuerant illa quae praenuntiabant esse venturum. Quid sibi autem vult, quod sic praenotantur quidam Psalmi, quos et ipsi legunt et habent in Litterarum auctoritate sanctarum, ut in eorum

¹ Coloss. ii, 17. — ² Matth. vii, 17.

titulis scriptum sit : « Pro iis quæ immutabuntur ; » textus vero eorumdem Psalmorum prædicat Christum : nisi quia eorum mutatio per illum futura prædicta est, per quem apparet impleta : ut populus Dei, qui nunc est populus christianus, jam non cogatur observare quæ propheticeis temporibus observabantur, non quia damnata, sed quia mutata sunt : non ut res ipsæ quæ significabantur perirent, sed ut rerum signa suis quæque temporibus convenirent.

V. Denique in Psalmo quadragesimo-quarto, (nam ipse primus est eorum qui hujusmodi titulum præferunt : « Pro iis quæ immutabuntur : » ubi etiam legitur : « Cantum cum pro dilecto¹ : ») apertissime Christus ostenditur : « Speciosus forma præ filiis hominum². Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo³. » Ibi ei dicitur : « Accingere gladium tuum juxta femur⁴ : » quod in carne esset hominibus locuturus. Per gladium quippe sermo, per femur caro significatur : quia « Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens⁵ ; » ut ille per Divinitatem « Speciosus forma præ filiis hominum, » etiam illud fieret per infirmitatem, quod de illo alius Propheta : « Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem : sed vultus ejus abjectus, et deformis positio ejus⁶. » Nam in eodem Psalmo, quo non tantum homo, sed etiam Deus sit Christus, apertissime ostenditur, cum subditur : « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui⁷. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis⁸. » Ab unctione quippe, quod græce *χρίσμα* dicitur, Christus est appellatus : ipse est Deus unctus a Deo,

¹ Psal. XLIV, 1. — ² Ibid. 3. — ³ Philip. II, 6. — ⁴ Psal. XLIV, 4. — ⁵ Philip. II, 6. — ⁶ Isai. LIII, 1. — ⁷ Id. XLIV, 7 et 8. — ⁸ Psal. XLIV, 8.

qui et ipsam cum cæteris sacramentis carnalem in spiritalem mutavit unctionem. Ibi ei de Ecclesia dicitur : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate¹. » Ubi significatur linguarum varietas in omnibus gentibus : quarum tamen una et simplex fides est intus : « Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus². » Quam Psalmus alloquitur dicens : « Audi, filia, » et vide : » audi promissum, vide completum. « Et obliviscere populum tuum et domum patris tui. Sic nova implentur, sic vetera commutantur. « Quoniam concupivit rex speciem tuam³. » Speciem quam fecit ipse per se, non invenit in te. Quomodo enim speciosa esses ejus oculis, quando eras tuis foedata peccatis? Ne tamen spem tuam arbitraris ponendam in homine, sequitur, et dicit : « Quoniam ipse est Dominus Deus tuus. » Ne formam servi spernas, ne potentis infirmitatem excelsique humilitatem derideas : « Ipse est Deus tuus. » In eo quod parvus apparet, magnus latet ; in umbra mortis sol justitiæ, in contumelia crucis Dominus gloriæ. Quamvis eum persecutores necent, infideles negent : « Ipse est Dominus Deus tuus : » per cujus corpus immutantur, quæ antea per umbras figurabantur.

VI. Psalmus quoque sexagesimus-octavus habet in titulo : « Pro iis quæ commutabuntur. » Et cantatur ibi passio Domini nostri Jesu Christi, transfigurantis in se quasdam etiam voces membrorum, hoc est, fidelium suorum. Non enim ipse ulla delicta habuit, sed nostra portavit, unde dicit : « Et delicta mea a te non sunt abscondita⁵. » Ibi scriptum est et prænuntiatum, quod in Evangelio legimus factum : « Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto⁶. » Per hunc

¹ Psal. XLIV, 10. — ² Ibid. 14. — ³ Ibid. 14. — ⁴ Ibid. 11, 12. — ⁵ Psal. LXVIII, 6. — ⁶ Matth. XXVII, 34 et 48. Joan. XIX, 29, et Psal. LXVIII, 22.

ergo immutata sunt vetera, quæ titulus Psalmi prædixerat immutanda. Quod Judæi legentes et non intelligentes, aliquid se dicere existimant, cum requirunt a nobis quomodo accipiamus auctoritatem Legis et Prophetarum, cum sacramenta non observemus quæ ibi præcepta sunt. Non observamus, quia mutata sunt: mutata sunt autem, quia mutanda prænuntiata sunt: et in eum credimus, cujus revelatione mutata sunt. Non ergo observamus sacramenta, quæ ibi præcepta sunt, quia intelligimus quæ ibi prædicta sunt, et tenemus quæ ibi promissa sunt. Isti autem qui hæc nobis objiciunt, adhuc amari sunt ex parentibus suis, qui dederunt in escam Domino fel, et adhuc veteres ex aceto quod ei potandum obtulerunt: et ideo non intelligunt, quia in eis impletur quod sequitur: « Fiat mensa eorum » coram ipsis in muscipulam, et retributionem, et scandalum¹. » Ipsi enim fellei et acidi facti sunt, felleas et acidas escas pani vivo ministrando. Quomodo enim hæc videant, de quibus ibi prædictum est: « Excæcentur oculi » eorum, ne videant. » Et quomodo sint recti, ut sursum cor habeant, de quibus prædictum est: « Et deorsum eorum semper incurva²? » Nec de omnibus hæc dicta sunt: imo vero de omnibus ad quos pertinet quæ prædicta sunt. Ad eos enim qui vel tunc ex illis crediderunt in Christum, vel nunc usque credunt, vel deinceps usque in finem sæculi credituri sunt, ista non pertinent ad verum Israël, scilicet qui videbit Dominum facie ad faciem. « Neque enim omnes qui ex Israël sunt, hi Israël » sunt: neque qui sunt semen Abraham, omnes filii » sunt, sed in Isaac, inquit, vocabitur tibi semen: hoc » est, non ii qui filii carnis, hi filii Dei, sed filii promissionis deputantur in semen³. » Sed hi pertinent ad spi-

¹ Psal. LXXIII, 23. — ² Ibid. 24. — ³ Rom. IX, 6.

ritalem Sion et civitates Judæ, id est, Ecclesias: de quibus Apostolus dicit: « Eram autem ignotus facie Ecclesiis » Judææ quæ sunt in Christo⁴. » Quoniam, sicut in eodem Psalmo paulo post ponitur: « Deus salvam faciet » Sion, et ædificabuntur civitates Judæ. Et inhabitabunt » eam, et hæreditate acquirent eam. Et semen servorum » ejus possidebunt eam, et qui diligunt nomen ejus, inhabitabunt in ea⁵. » Sed cum hæc audiunt Judæi, carnaliter accipiunt, et terrenam Jerusalem cogitant, quæ servit cum filiis suis: non matrem nostram æternam in coelis⁶.

VII. Item Psalmus septuagesimus-nonus simili titulo prænotatur: « Pro iis quæ immutabuntur. » In quo Psalmo inter cætera scriptum est: « Respice de cælo, et vide, et » visita vineam istam: et perface eam quam plantavit dextera tua, et super filium hominis, quem confirmasti » tibi⁷. » Ipsa est enim vinea de qua dicitur: « Vineam ex » Ægypto transtulisti. » Non enim Christus aliam plantavit: sed ipsam, veniendo, in melius commutavit. Sic et in Evangelio legitur: « Malos male perdet, et vineam » suam locabit aliis agricolis⁸. » Non enim ait: Eradicabit, aliamque plantabit: sed eandem ipsam locabit aliis agricolis. Eadem namque est sanctorum societate Civitas Dei et congregatio filiorum promissionis, mortalium decessione ac successione complenda, atque in fine sæculi simul in omnibus immortalitatem debitam receptura: quæ alio modo in alio Psalmo per olivam fructiferam significatur, et dicit: « Ego autem sicut oliva fructifera in domo » Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, et in sæculum sæculi⁹. » Neque quia fracti sunt infideles et superbi, ac per hoc infructuosi rami, ut insereretur oleaster

⁴ Gal. I, 22. — ⁵ Psal. LXXIII, 36 et 37. — ⁶ Gal. IV, 25. — ⁷ Psal. LXXIII, 9 et XV, 16. — ⁸ Matth. XXI, 41. — ⁹ Psal. LI, 10.

gentium, ideo perire potuit radix Patriarcharum et Prophetarum. « Quia etsi fuerit, inquit Isaias, numerus filiorum Israël sicut arena maris, reliquiae salvæ fient¹: » sed per eum de quo dicitur: « Et super filium hominis, quem confirmasti tibi: » et de quo repetitur: « Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi². Et non discedimus a te. » Per hunc filium hominis, id est, Christum Jesum, et de suis reliquiis, hoc est, Apostolis, et aliis multis, qui ex Israëlitis in Christum Deum crediderunt, accedente plenitudine gentium, vinea sancta perficitur: et in remotione veterum, atque institutione novorum sacramentorum titulus ejus Psalmi: « Pro his quæ commutabuntur, » impletur.

VIII. Apertioribus itaque testimoniis cum eis agendum est, quæ sive consentiant, sive dissentiant, tamen sentiant. « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et confirmabo super domum Jacob testamentum novum, non secundum testamentum quod constitui patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti³. » Ista certe prædicta mutatio, non per Psalmorum titulos intelligentibus paucis significatur, sed manifesto præconio propheticæ vocis exprimitur. Aperte promissum est Testamentum Novum, non secundum Testamentum quod factum est ad populum, quando eductus est et de Ægypto. Cum ergo in illo Veteri Testamento præcepta sint ista, quæ nos ad novum pertinentes observare non cogimur, cur non Judæi se potius in vetustate supervacanea remansisse cognoscunt, quam nobis nova promissa tenentibus; quod vetera non observemus, objiciunt? Quoniam ergo, sicut scriptum est in Cantico canticorum: « Aspiravit dies, re-

¹ Isai. x, 22. — ² Psal. LXXIX, 16 et 18. — ³ Jerem. xxxi, 31 et 32.

» moveantur umbræ¹: » spiritalis significatio jam luceat, carnalis celebratio jam quiescat. « Deus deorum » Dominus locutus est, et vocavit terram a solis ortu usque ad occasum²: » utique omnem terram ad Testamentum novum, cui dicitur in alio Psalmo: « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra³. » Non ergo sicut antea ex monte Sina locutus est uni populo, quem vocavit ex Ægypto Deus deorum: sed sic locutus est, ut vocaret terram a solis ortu usque ad occasum. Quam si Judæus vellet intelligere locutionem, audiret hanc vocationem, et in eis esset quibus in eodem Psalmo dicitur: « Audi, populus meus, et loquar tibi, Israël, et testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum. Non super sacrificia tua arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo semper. Non accipiam de domo tua vitulos neque de gregibus tuis hircos: quoniam meæ sunt omnes bestię sylvæ, pecora in montibus et boves: cognovi omnia volatilia cœli, et species agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ et plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo preces tuas. Et invoca me in die tribulationis, et eruam te, et glorificabis me⁴. » Certe et hic sacrificiorum veterum aperta mutatio est. Illa eum Deus accepturum se non fore prædixit, cultoribus suis sacrificium laudis indixit: et hoc non quod a nobis tanquam indigens expetat laudem, sed ut in ea nobis consulat ad salutem. Nam eundem Psalmum ita conclusit: « Sacrificium laudis glorificabit me, et ibi via est, ubi ostendam illi salutare Dei⁵. » Quid vero est salutare Dei, nisi Filius Dei, Salvator mundi; dies Filius ex dies

¹ Cant. ii, 1. — ² Psal. XLIX, 1. — ³ Id. xcv, 1. — ⁴ Id. XLIX, 7-15. — ⁵ Ibid. 23.

Patre, hoc est, lumen ex lumine, cujus adventus revelavit Testamentum novum? Unde etiam ubi dicitur: « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra, » cantate Domino, benedicite nomen ejus: » statim evangelizandus ipse monstratur, atque additur: « Bene nuntiati diem ex die salutare ejus¹. » Ipse igitur sacerdos et victima sacrificium laudis implevit malorum operum tribuens indulgentiam, et bene operandi largiens gratiam. Ad hoc enim Domino sacrificium laudis ab ejus cultoribus immolatur: « Ut qui gloriatur, in Domino gloriatur². »

IX. Sed hoc Judæi cum audiunt, erecta cervice respondent: Nos sumus, de nobis hoc dictum est, nobis hoc dictum est. Nos enim sumus Israël populus Dei: nos in verbis dicentis agnoscimus: « Audi, populus meus, et loquar tibi, Israël, et testificabor tibi³. » Quid sumus ad ista dicturi? Novimus quidem Israël spiritalem, de quo dicit Apostolus: « Et quicumque hanc regulam sequuntur, pax super illos et misericordia, et super Israël Dei⁴. » Istum autem Israël scimus esse carnalem, de quo idem dicit: « Videte Israël secundum carnem⁵. » Sed ista isti non capiunt, et eo se ipsos carnales esse convincunt. Quos paululum quasi præsentis alloqui libet: Ita-ne vos ad eum populum pertinetis, quem vocavit Deus deorum a solis ortu usque ad occasum? Nonne vos ex Ægypto in terram Chanaan translati estis? non illuc vocati a solis ortu usque ad occasum, sed inde dispersi in solis ortum et in occasum. Nonne vos ad ejus inimicos potius pertinetis, qui dicit in Psalmo: « Deus meus demonstravit mihi inimicis meis, ne occideris eos, ne quando obliviscantur legis tuæ, disperse illos in virtute tua⁶? » Unde non obliviscentes legem Dei, sed eandem circumferentes,

¹ Psal. xcvi, 1 et 2. — ² 1 Cor. i, 31. — ³ Psal. xlix, 7. — ⁴ Gal. iv, 16, et Beda, seu Florus, ibid. — ⁵ 1 Cor. x, 18. — ⁶ Psal. lvi, 12.

gentibus ad testimonium, vobis ad opprobrium, nescientes eam populo ministratis, qui vocatus est a solis ortu usque ad occasum. An vero negabitis? et ea quæ tanta auctoritate prædicta, tanta manifestatione completa sunt, aut majore cæcitate non intuemini, aut mirabili impudentia non fatemini? Quid ergo ad illud responsuri estis, quod Isaias propheta proclamatur: « Erit in novissimis temporibus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium, et exaltabitur super colles, et venient ad eum universæ gentes, et dicent: Venite, ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Jacob, et annuntiabit nobis viam salutis, et ingrediemur in eam: » ex Sion enim lex prodiet, et verbum Domini ex Jerusalem¹. » An et hic dicturi estis: Nos sumus? quoniam audistis domum Jacob et Sion et Jerusalem. Quasi nos negemus de semine Jacob esse Christum Dominum secundum carnem, qui significatus est vocabulo montis parati super cacumen montium, quod omnes celsitudines ejus celsitudo transcendit: aut negemus Apostolos et illas Ecclesias Judææ, quæ post Christi resurrectionem in eum continuo crediderunt, ad domum Jacob pertinere: aut vero alius intelligendus sit spiritualiter Jacob, quam ipse populus christianus; qui cum sit minor natu, quam populus Judæorum, tamen eum crescendo superat, et subdit: ut impleatur quod de duobus illis fratribus in figura prædictum est: « Et major serviet minori². » Sion autem et Jerusalem quamvis spiritualiter intelligatur Ecclesia, magis tamen adversus istos idoneum testimonium est, quia ex isto loco, ubi Christum crucifixerunt, et lex et verbum Domini processit ad gentes. Lex enim quæ illis per Moysen data est, de qua superbius extolluntur, et de qua melius convincuntur, non intelligitur prodisse de

¹ Isai. li, 2 et 3. — ² Gen. xxv, 24.